

CATERINA SANTORO

LA POLITICA FINANZIARIA DEI VISCONTI

DOCUMENTI

Settembre 1329 - Agosto 1385


c201

11PF

Vol. I

SETTEMBRE 1329 - AGOSTO 1385

PREFAZIONE
DI
GINO BARBIERI



GIUFFRÈ EDITORE

volumus summa capit libras trecenta octuaginta tertiolorum, qui denarii sunt monete Mediolani nunc currentis et secundum ipsius monete valorem (*omissis*).

Actum Mediolani, in curia prefati patris et domini sita in suis magnis edificiis noviter constructis in palatio deversus Verzarium. Presentibus Erasmolo de Pirovano filio quondam domini Gulielmi legum doctoris, porte Nove parochie s. Stephani ad Nuxigiam, Stephano Porro filio domini Beltrami porte Romane parochie sancti Michaelis ad murum ruptum et Andriolo de Marnate filio quondam domini Iacobi porte Orientalis parochie monasterii Lantasii, omnibus civitatis Mediolani notariis. Interfuerunt ibi testes dominus Fulchinus de Schiziis iurisperitus filius quondam domini Pasii de Cremona habitans Mediolani in porta Romana parochia sancti Michaelis ad murum ruptum, dominus Ubertus Pallavesinus filius quondam domini Manfredini, qui habitat in porta Orientali in parochia sancti Petri ad ortum, dominus Iohannes de Bizozero filius quondam domini Oldradi porte Ticinenxis parochie sancti Georgii in Pallatio Mediolani, miles, dominus Erasmus Aliprandus legum doctor filius quondam domini Salvarini iuris utriusque periti porte Orientalis parochie sancti Pauli in Compedo, dominus magister Iohannes Busca filius quondam domini Iacobi porte Cumane parochie sancti Thome in Terra Mara, dominus Bonicontrus filius domini Maffioli de Sancto Miniate porte Romane parochie sancti Stephani in Brolio, dominus magister Otorinus de Concorezio filius quondam domini Oldradi porte Orientalis parochie sancti Viti in Pasquirolo, dominus Galvaneus Cominus filius quondam domini Mathei porte Cumane parochie sancti Prothasii ad Monacos, Thomasolus de Perego filius quondam domini Philippi porte Romane parochie sancti Nazarii in Brolio Mediolani, Azo de Saluzio filius quondam Thomassii marchionis Saluziarum et Iohannulus de Ghiringellis filius quondam domini Quircoli porte Romane parochie sancti Vincentii ad Septaram Mediolani, omnes noti et idonei, vocati et rogati. Ego Garulfus de Medicis filius quondam domini Iohannoli porte Nove parochie sancti Victoris ad quadraginta martires suprascriptarum instrumentum dispositionis creationis quinque capellanorum rogatum per nunc quondam Lanzellotum Negronum filium quondam domini Medii olim civitatis Mediolani notarium, quod instrumentum dictus quondam Lanzellotus propter eius mortis interventum explere et in publicam formam redigere non potuit, ex auctoritate mihi concessa per dominum Danesium de Luatis nunc consulem iusticie Mediolani, de qua rogatum fuit instrumentum per Beltramolum de Comitibus Mediolani notarium anno curso MCCCCXXVIII, indictione sexta et die iovis octavo mensis iulii, ab imbreviaturis ipsius quondam Lanzelloti expleri feci et in hanc publicam formam redegi et in testimonium premissorum signum meum aposui consuetum et subscrispi¹⁾.

¹⁾ In data 9 marzo, a rogito dello stesso notaio Lanzellotto Negrono, l'arcivescovo, «tamquam privata persona», fece donazione all'ospedale Nuovo detto «de dona Bona», a mezzo dei suoi procuratori Dionigi de Castroseprio e Giacomolo de Birago «nominative de infradicis casamentis, sediminibus, mollandino, terris, possessionibus, bonis et iuribus iacentibus extra portam Romanam iuxta dicte porte Mediolani, ubi consuevit dicere ad Cassinas illorum de Pagnonis, cum torculari, tinis et omnibus pertinentiis», con l'obbligo di determinate prestazioni. Altra donazione fece, in pari data, all'ospedale di S. Ambrogio di beni posti nei luoghi di Baggio e Quinto (*Rep. Dipl. Vis.*, nn. 554, 555).

unusquisque noster officialis veniat et mittat acceptum eius salarium a Iacobino Bellincorno, familiare nostro per bulletam factam per Francischolum Plantanidam officialem nostrum ad predicta deputatum. Data Papie, vigesima octava novembris MCCCLXV.

190.

1366 gennaio 7, mercoledì, IV, Milano.

Bernabò Visconti nomina Giovannolo Cattaneo suo procuratore per fare ampia donazione ai conventi degli ospedali di S. Lazzaro, dei SS. Pietro e Paolo e di S. Giacomo di Milano di vasti beni immobili posti nel vescovato di Lodi, con determinati obblighi. Not. Bartolo de Arluno.

Mi.A.E.C.A., *Eredità, donazioni*, cart. 161/19, orig. Reg.: Rep. Dipl. Visc., n. 1437; A.NOTO *Gli amici dei poveri di Milano, 1305-1964*, 16 con la data 8 gennaio.

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, inductione quarta, die mercurii septimo mensis ianuarii. Magnificus et excelsus dominus dominus Bernabos Vicecomes Mediolani etc. imperialis vicarius generalis natus bone memorie quandam magnifici millitis et domini domini Steffani Vicecomitis, porte Romane Mediolani parochie sancti Iohannis ad Concham, omni modo, via, iure et forma quibus mellius potuit et potest, fecit, constituit atque creavit et facit, constituit atque creat Iohannolum Cataneum de Vitudono filium quandam domini Iohannis civem Mediolani porte Ticinensis parochie sancti Georgii in Pallatio eius factorem et negotiorum gestorem, suum certum, verum et legiptimum nuncium et procuratorem et quicquid mellius dici et esse potest ad submitendum se procuratorio nomine prefati magnifici domini et pro eo iurisdictioni domini.. potestatis Mediolani occasione infrascriptarum donationum fiendarum ut infra et ad faciendum procuratorio nomine prefati magnifici domini et pro eo coram ipso domino potestate necnon coram venerabilibus viris dominis.. vicariis reverendi patris et domini domini Guillelmi Dei et apostolice sedis gratia sancte Mediolanensis ecclesie archiepiscopi¹ in spiritualibus vicariis cuiuslibet et quolibet eorum in solidum et cum eorum et cuiuscumque eorum auctoritatibus et decretis solempnes et legiptimas donationes inter vivos puras, meras et inrevocabiles cum remissione quarumcumque ingratitudinis causarum tam cum et sub infradicibus pactis, condictionibus, formis, tenoribus et modis inviolabiliter observandis.. magistro, fratribus et conventui hospitalis sancti Lazari positi et constructi in suburbio porte Romane Mediolani et scollaribus, universitati et consortio scolle et hospitalis sanctorum Petri et Paulli apostolorum positi et constructi in ipsomet suburbio et scollaribus, universitati et consortio scolle et hospitalis sancti Iacobi positi et constructi in porta Vercellina Mediolani et ipsis hospitalibus et cuilibet eorum et quibuscumque personis pro eis et pro quolibet eorum et eorum et cuiuscumque eorum nomine stipulantibus et recipientibus, videlicet ipsis magistro, fratribus et capitulo et conventui dicti hospitalis sancti Lazari et ipsis hospitali sancti Lazari nominative de

¹⁾ Guglielmo Pusterla, arcivescovo di Milano dal 23 agosto 1361 (UGHELLI *Italia sacra* 2^a ed., col. 252).

infrascriptis sediminibus, domibus, herbatico et iure herbatici, terris, bonis et iuribus universis iacentibus ut infra et inferius terminatis et que terminantur in hunc modum videlicet: In primis domus una cu hedifittis et suis pertinentibus, iacens in suprascripta vicinaria¹ (*omissis*), que omnes domus tenentur ad fictum seu ad pensionem a prefato magnifico domino per Galdinum de Muzano filium^b quondam domini Petri. Item iugera sex terre boschive iacentis in territorio loci de Livratica dicti episcopatus Laude ubi dicitur ad Novellas, que iugera sex sunt pro indivixo in iugeribus tredecim et perticis duabus, quibus coheret ab una parte strata, ab alia Thomasii de Livraga, ab alia episcopatus Laude et ab alia via de Brembo, que iugera sex capiunt ad computum perticarum duodecim pro quolibet iugere perticas septuaginta duas^c (*omissis*). Item sedimen unum pertice unius et medie vel circa iacens in loco Sancto Zenone episcopatus Laude, in quo et quedam cassina palestra^d (*omissis*). Item sedimen unum cum hedifitiis, in quo est quedam turris, iacens in loco de Asago episcopatus Laude^e (*omissis*). Que bona iacentia in ipso loco Osago et eius territorio tenta fuerunt ac etiam ad presens tenentur a prefato magnifico domino per Maninam de Nigro civem Laude. Item herbaticum et ius herbatici totius loci et territorii de Cornu Veteri districtus Laude, pertinens et spectans prefato magnifico domino in ipsis loco et territorio, quod herbaticum tenebatur ad fictum a prefato magnifico domino anno currenti millesimo trecentesimosexagesimo quarto per Vertuanum de Vertua et ius et possilitas pascuandi et pasculari faciendi dictum herbaticum et ipsum herbaticum affictandi. Et ipsis scollaribus, universitati et consortio ipsius scolle et hospitalis sancti Iacobi et ipsis scolle et hospitali sancti Iacobi nominative de quodam facto libellario librarum centum quinquaginta imperialium quolibet anno usque in perpetuum, quod fictum prestatur et debetur et fieri et prestari consuevit prefato magnifico domino domino Bernabovi per Thomasinum Bochonum filium quondam Pini civem Laude super et pro infradicatis bonis et iuribus inferius determinatis et coherentias et iacentibus ut infra. Que bona sunt hec et terminantur in hunc modum, videlicet: In primis sedimen unum, quod est cum hedifitiis cupatis quod appellatur Rezetum, iacens in loco Pezzolo de Ricardis episcopatus Laude per medium dictam terram, in qua fuit castrum domini Amizini de Spino^f (*omissis*). Et ipsis scollaribus, universitati et consortio dicte scolle et dicti hospitalis sanctorum Petri et Pauli et ipsis scolle et hospitali sanctorum Petri et Pauli^g nominative de herbatico et de iure herbatici totius loci et territorii de Cornu Iuveni districtus Laude pertimenti et spectanti prefato magnifico domino in ipsis loco et territorio de Cornu Iuveni, quod herbaticum ad presens tenetur ad fictum a prefato magnifico domino per Amoratinum de Mediscapitibus et per Petrum Tussum ambos de ipso loco Cornu Iuveni, eorum nominibus et etiam nomine et vice communis et hominum dicti loci de Cornu Iuveni et per ipsum comune et de iure et possilitate affictandi et locandi dictum herbaticum et ius dicti herbatici et ipsum herbaticum et comoditatem, utilitatem et usufructum ipsius herbatici percipiendi (*omissis*). Et etiam de eo cum omnibus et singulis illis iurisdictionibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, concessionibus et iuribus quibuscumque cum quibus et

a) *Le parole et ipsis - Pauli nell'interlinea.*

¹⁾ Segue la descrizione, con relative coerenze di 34 case, tutte situate in Lodi.

²⁾ Segue la descrizione di altre terre nel detto luogo.

³⁾ Seguono altri tre sedimini nello stesso luogo di San Zenone.

⁴⁾ Seguono altre quattro tipi di terre nel detto luogo di Assago.

⁵⁾ Seguono le coerenze e la descrizione di altre terre nel detto luogo di Pezzolo.

prout predicti fictabiles tenent predicta bona, res et iura de quibus supra fit mentio et que sunt superius declarati ad dictum a prefato magnifico domino et prout alii fictabiles predicta bona, res et iura tenuerunt hactenus a prefato magnifico domino, tali tenore quod de cetero ipsi magister, fratres et conventus dicti hospitalis sancti Lazari, scollares, universitates et consortia dictarum scollarum et dictorum hospitalium et ipsa hospitalia cum suis successoribus habeant et teneant et titullo donationis possident ipsa omnia bona, res et iura herbaria et dictum libellarium superius declarata¹ (*omissis*).

Acta in curia prefati magnifici domini domini Bernabovis, sub salsa magna prefati magnifici domini respiciente versus brollium prefati magnifici domini. Presentibus Raynaldo de Capitaneis de Vicomercato filio domini Pallamidesii canzellario prefati magnifici domini, porte Nove parochie sancti Petri ad Cornaredum, domino presbitero Iohanne de Comitibus de Castrosprio preposito ecclesie sancti Victoris loci de Raude diocesis Mediolanensis filio quondam domini Antonii porte Ticinensis parochie sancte Eufemie et Branchaleone de Vicecomitibus filio quondam domini Dionisii porte Ticinensis parochie sancte Marie in Valle, ambobus camerariis prefati magnifici domini, omnibus testibus notis ad premissa vocatis, ydoneis specialiter et rogatis.

(S.T.) Ego Bartolus de Arluno filius quondam Ysopi, civis Mediolanensis, publicus imperiali auctoritate notarius premissis omnibus dum agerentur presens fui una cum testibus suprascriptis et de predictis hoc publicum instrumentum procuratorii de mandato prefati magnifici domini Bernabovis constituentis ut supra tradidi et me subscripti et ad scribendum dedi infrascripto Steffanolo de Terzago notario meumque solitum signum aposui in testimonium premissorum etc.

(S.T.) Ego Steffanulus de Terzago filius quondam domini Francischi notarius civitatis Mediolani porte Vercelline parochie sancti Petri intus Vineam scripsi.

191.

1366 gennaio 8, giovedì, IV, Milano.

Bernabò Visconti, a mezzo del suo procuratore Giovannolo Cattaneo, dona all'ospedale dei SS. Pietro e Paolo di Milano l'erbario del luogo di Corno il Giovane nel Lodigiano, con l'esenzione da ogni onere.

Mi.A.O.M., cod. e ms. 48, copia coeva, senza il nome del notaio. Esso sarebbe, secondo un'annotazione tardiva, Pietro Oldani di Milano; Mi.A.E.C.A., *Donazioni*, cart. 161.

Reg.: Rep. *Dipl. Visc.*, n. 1439; D. PANEBIANCO *L'Ospedale di S. Pietro dei Pellegrini*, in «Arch. Stor. Lomb.» (9 s) 93-94 (1966-67, ed. 1968) 121; NOTO *op. cit.* 16.

In nomine Domini, Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, inductione quarta, die iovis octavo mensis ianuarii. Coram venerabilibus viris dominis Thomasio de Pusterla ordinario ecclesie Maioris Mediolani et fratre Leonardo de Ferrariis, provintiale provintie Mediolanensis ordinis Celestinorum, reverendi in Christo patris et domini domini Guillelmi Dei et apostolice sedis gratia sancte Mediola-

¹⁾ Seguono le consuete clausule delle donazioni e l'impegno da parte dei detti ospedali di distribuire, annualmente e in determinate feste, alcuni drappi di lana a persone indigenti.